Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26345
Copyright: Admont, Benediktinerstift

prostratus sive stans, primum redeuntis, deinde exeuntis benedictionem ac capit. Quem si redisse de via sacerdos nescierit, aliquis astantium sciens ei innotescit. Debent autem de itinere redeuntes in choro interesse matutinis, nisi sit aliquis de longinquo veniens vel tali infirmitate gravatus. Illi conceditur extra chorum vel ad s. Mariam matutinis eisdem interesse. et eius adiutore

De claustrali priore

Claustralis prior vicarius est maioris. Persona prioris, quia non solum debiliores fratres ad propinqua loca ad repausandum mittit, verum etiam validiores ad cellas valde remotas in auxilium fratrum illic commorantium domno abbate et priore longe remotis. Veruntamen numquam in privatis diebus aut in xii lectionibus ad offerendum vel ad pacem post aliquem albatum non in ordine suo accedit. In festis autem quae in albis aguntur, absente priore, primus etiam ad singula huiusmodi procedit, excepto si domnus abba vel prior missam cantat in conventu. Tunc enim nullo modo se primis his admittit, nisi omnium prior in ordine sit. Quotiens ipse ordinem ita tenet, ut neque domnum abbatem neque priorem interim advenire speret, tunc ad processionem quae privatis diebus agitur ultimus incedit, et cum venerit ad s. Mariam in choro sinistro consistit, etiam si in dextro eius statio fuerit. Sicut opus fuerit absente priore ad infirmariam gratia repausationis ire conceditur, ipseque infra refectionem eque. Sic et quisque tunc ordinem regens illuc venire non neglegit, et singulis pro temporis competentia caritative brevi tamen loquitur. Cum ministris reficiens ad scillam sedet. Hic est quocumque domnus abbas vel prior proficiscatur, qui in claustro iugiter moratur, et qui precipue pondus totius ordinis portat. Propterea quod tamen altiorem inter fratres non habet ordinem. Ut autem eo expeditior ad idem officium sit, armarius numquam illi refectionis vel collationis lectionem iniungit. Hoc est autem quod nullo die omittit. Post completorium aspersionis aqua benedicta, statim non ipse aspergit, stare prope ostium ecclesie secedit, ut singulos intueatur, quomodo inclinent ad altaria et ad sacerdotem per quem asperguntur. Postquam omnes exierunt, sive ille asp